

Translat. Episcop. imò ait, tria, nimirum translationem, depositionem & sessionem Episcoporum, non tam institutione Canonica, quam institutione Divina, soli esse Romano Pontifici reservata.

XXVIII. Hanc distinctionem jam pridem receptam fuisse in Gallia testis est antiquus Sanctionis Pragmaticæ Glossographus Cosmas Guimierius, dicens: "Episcoporum depositio est, Papæ reservata. Si verò non agatur contra Episcopos ad depositionem, sed ad aliam pœnam arbitrariam vel determinatam, citra tamen depositionem, tunc Concilium provinciale erit iudex."

XXIX. Eandem tandem confirmavit Synodus Trid. Sess. 24. cap. 5. De Reformat. ubi ait: "Causæ criminales graviores contra Episcopos, etiam hæresis, quod ablit, quæ depositione aut privatione dignæ sunt, ab iplo tantum summo Romano Pontifice cognoscantur, & terminentur. Quod si ejusmodi sit causa, quæ necessariò extra Romanam Curiam sit committenda, nemini prorsus ea committatur, Nisi Metropolitanis, aut Episcopis, à Beatissimo Papa eligendis. Hæc verò commissio & specialis sit, & manu ipsius Sanctissimi Pontificis signata, nec unquam plus his tribuat, quam ut solam facti instructionem sumant, processumque conficiant; quem statim ad Romanam Pontificem transmittant, reservatâ eidem Sanctissimo sententiâ definitivâ."

XXX. Post hæc de minoribus Episcoporum causis subjungit: "Minores verò criminales causæ Episcoporum in Concilio tantum provinciali cognoscantur, & terminentur, vel à deputandis per Concilium provinciale."

XXXI. Refert Cardinalis Pallavicinus lib. 23. Hist. Concilii Trid. cap. 7. num. 11. quòd cum ageretur de Decretis reformationis Sessio 24. promulgandis, Cardinalis Lotharingus in quinto capite, ubi lex habetur de committendis Episcoporum causis, opinabatur, aut caput illud omninò delendum, aut restringendum, adjectâ pariculâ *salvis Privilegiis* ut *privilegiis* aliter necesse fore, ut Galli repugnarent, cum Decretum illud opponeretur privilegiis Ecclesiæ Gallicanæ.

XXXII. Deinde narrat Pallavicinus ibidem cap. 8. num. 5. quòd in hoc quinto capite "sublatæ fuerint in gratiam Lotharingi amplissima derogationes cuicumque privilegio jam appositæ, idque ne apertum detrimentum prærogativis Ecclesiæ Gallicanæ in eò contineretur, quandoquidem ille non impetraverat, sicut petierat in antegresso examine, ut Privilegiarum privilegia diserte illæsa servarentur in quo necesse habuit, ut ardentè se gereret, quoniam super hoc articulo Venetiis conquesti fuerant de Synodo Gallici Oratores."

XXXIII. Quòd hæc dicit Pallavicinus de Gallicis Oratoribus, etiam probant observationes atque animadversiones Oratorum Regis Christianissimi in articulo reformationis, Sess. 24. publicandos; in his observationibus notatur: "Caput, quòd incipit, *Causæ criminales*, non placet. Adversatur enim antiquissimo juri Regis, & Ecclesiæ Gallicanæ privilegiis, quibus cavetur, ne quis etiam volens extra Regnum à quoquam ex quacumque causa in jus vocari, nedum condemnari possit."

XXXIV. Extant hæc observationes in libello, cui titulus, *Memoires pour le Concile de Trente*, edit. 1654. pag. 573. ubi & pag. 575. referuntur notæ Domini de Pibrac Oratoris Regis Galliarum in Concilio Tridentino, ad aliquot Capita hujus Sessio 24. tibi nominatim ad hoc Caput quintum notatur: "Hoc totum Decretum gratissimum omnibus Patribus fuit, nullòque dissentiente approbatum, quanquam ex eo nihil magis sequi videatur quam securitas, & gravissimum criminum impunitas, quæ ipsa per se maxima est illecebra peccandi. Quis enim ex longinquis regionibus ad testimonium dicendum Romam proficisci volet? Violatur quoque hæc aperiensimè jus nostrum, quo hæcenus semper usi sumus: neminem enim Gallum, nisi in Gallia, judicari leges patiuntur. Illud autem nulla ratione fieri potest, quòd causæ civiles Episcoporum, ubi scilicet de eorum bonis agitur, ad fo-

rum Romanum hoc Decreto transferuntur."

XXXV. Observationibus Gallicanis circa hoc Decretum Concilii Tridentini non absumiles sunt notæ Magistratum Belgicorum, quas præviè ante publicationem Concilii Tridentini in his partibus addiderunt.

Imprimis enim ad cap. 8. Sess. 13. ubi dicitur: *Causæ Episcoporum, cum pro criminis gravitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipsum terminentur*, speciatim Brabantini observarunt, hæc ratione subditos extra Patriam fore trahendos, quòd directò adversatur indulto Summorum Pontificum, Leonis & Clementis, & Constitutionibus Suae Majestatis, & Illustrissimorum ejus Prædecessorum, qui non sine gravi ac prægnanti causa id concesserunt."

Deinde ad cap. 5. Sess. 24. "monuerunt Brabantini, Flan-dri, aliique posse Regem inhære veteri juri & auctoritati suæ ad conservandam securitatem & tranquillitatem Reipublicæ & subditorum."

XXXVI. Plurima & antiquissima sunt Principum Belgii edicta, quæ vetant, Belgas extra suas provincias in jus vocari; quæ etiam juramento Principes in sua inauguratione inviolabiliter observare promittunt. Idque non tantum in causis civilibus, sed & Ecclesiasticis; atque hinc notorius & quotidianus usus delegandi iudices appellationum in Partibus, si quando à sententiâ iudicis Ecclesiastici ad Pontificem appellatum est; uti infra, ubi de *Judicibus delegatis* agetur, latius ostenditur.

XXXVII. Non dubium, quin magna secum trahat incommoda extra Provincias, & in remotis locis Causam prosequi debere; idque sive per personas litigantes spectes, quæ sine magnis sumptibus, variisque domesticis & familiaribus incommodis in locis illis remotioribus ad prosequendas causas morari nequeunt; sive etiam ipsam causarum instructionem attendas; nam ut jam pridem rectè scripsit S. Ivo Carnotensis epistola 86. "Si intra Provinciam, secundum quòd instituta Majorum continent, fieret prima discussio, sicut necesse foret, non deessent accusatores, non deessent testes, qui pro hujusmodi negotiis non audent ad remota loca pro-

dire."

XXXVIII. Quamvis nonnulla crimina inferiores Clericos, quin & Presbyteros iudicibus Regis subjecerint; praxisque invaluerit, ut de illis à iudicibus Laicis judicentur & condemnentur, hæcenus non scimus ad Episcopos Laicam jurisdictionem ratione criminis quantumvis atrocis esse extensam, referaturque in Actis Cleri Gallicani declaratum esse 26. Aprilis 1657. per Regem Galliarum, quòd si Episcopi accusarentur de crimine *læsa Majestatis*, ipsorum processus instruerentur per iudices Ecclesiasticos, conformiter ad Sanctiones Canonicas, & formam in hoc Regno servari consuetam.

Qua de re extat articulus in Summario Actorum Cleri Gallicani edit. 1680. tomo 1. parte 1. tit. 1. cap. 2. art. 37. *Les immunités & exemptions acquises aux Cardinaux, Archevêques & évêques doivent estre inviolablement gardées & observées dans ce Royaume. Ce qui fut ordonné par sa Majesté par Arrest de son Conseil d'Etat du 26. Avril 1657. & la Commission du 21. Septembre 1654. qui avoit esté envoyée au Parlement de Paris pour faire le Procès à Mon seigneur le Cardinal de Retz fut déclarée nulle; & qu'au cas qu'ils soient accusés du crime de lèse Majesté leur Procès sera instruit, & jugé pour leurs personnes, par les Juges Ecclesiastiques, conformément aux saints Decrets, & Constitutions Canoniques & suivant les formes observées dans le Royaume aux causes des Evêques.* Id est: Immunitates & exemptiones Cardinalibus, Archiepiscopis, & Episcopis partè inviolabiliter conservandæ sunt in hocce Regno. Idque à sua Majestate statutum est per Edictum Concilii statum datum 26. April. 1657. & Mandatum de 21. Septembris 1654. quòd suprema Curia Parisiensis missum fuerat, ut Dominus Cardinalis Retensis in jus vocaretur, nullius valoris declaratum est; utque in casum, quo de crimine læsæ Majestatis rei agerentur ipsorum causa instrueretur & judicaretur pro ipsorum persona per Eccle-

Ecclesiasticos Judices, conformiter ad Ecclesiastica Decreta & Canonicas Sanctiones, & juxta morem in hoc Regno observatum in causa Episcoporum.

Sa Majesté donna une Declaration du même jour 26. Avril 1657. qui confirme ledit Arrest. Id est: Sua Majestas eodem die 26. Aprilis 1657. Declarationem fecit qua dictum Edictum confirmat.

XXXIX. Ex his satis intelligitur, quomodo Ecclesia fuerit sollicita, ne temere Episcopi accusarentur aut damnarentur, neque inferioribus subderentur; dum non nisi causas

criminales ipsorum coram multorum Episcoporum cœtu examinari & discuti voluit. Verum & ex his etiam intelligere possunt Episcopi, quòd juxta mentem Ecclesiæ debeant se in omnibus irreprehensibiles exhibere, ne quis contra ipsos justam querelam habeat: neque hanc ab inferioribus iudicibus immunitatem in licentiam dominandi, aut liberius peccandi assumere. Sanè dum hodie vix sæculo uno Synodus Provincialis habetur, patet, quomodo ab omni pene judice Episcopi ià hujusmodi causis sint exempti.

## TITULUS IV.

## De Delictis Ecclesiasticis.

## CAPUT I.

Quomodo olim Episcopi de omnibus criminibus cognoverint, & quomodo hæc Episcoporum auctoritas imminuta?

- 1 Per multa sæcula latissime se extendit Ecclesia auctoritas in crimina etiam laicorum.
- 2 Argumentum istius discipline suppediat Constitutio-nes vulgò Apostolicæ.
- 3 Episcopi in omnia crimina, etiam occulta, inquirebant, & quasi processum instituebant.
- 4 Hæc inquisitio & processus tendebant ad reconciliationem peccatoris.
- 5 Forum externum non erat separatum à foro interno, seu Sacramentali.
- 6 Non erat aliud pro foro externo, aliud pro foro interno constitutum.
- 7 Hæc disciplina videtur durasse per 11. sæcula.
- 8 Multa iudicialia etiam interveniebant, quæ tamen indirectè spectabant ad Sacramentum Pœnitentiæ.
- 9 Circa sæculum 7. quædam crimina specialiter spectabant ad Episcopos; sed quidquid Episcopi agebant, spectabat ad Sacramentum Pœnitentiæ.
- 10 Ostenditur quomodo omnia crimina merito fuerint jurisdictionis Ecclesiasticæ.
- 11 Nulla tunc erat criminum distinctio in Ecclesiastica & Civilia prout illa hodie accipiuntur.
- 12 Episcopus non vetabatur inquirere in crimina Civilia etiam laicorum.
- 13 Episcopo non obstat iudicium laici.
- 14 Crimen Civiliter punitum poterat postmodum etiam per Episcopum puniri.
- 15 Ratio istius discipline.
- 16 Reprobantur qui contrarium asserere volebant.
- 17 Qui Episcopis obedire renuebant, compellebantur per Magistratus Civiles.
- 18 Jurisdictio Episcoporum integra mansit quamdiu forum externum fuit conjunctum cum interno.
- 19 Circa sæculum 12. utrumque forum separari cœpit.
- 20 Quæ fori iudicialis sunt Episcopi sibi vel Vicariis suis reservarunt, & quæ fori interni inferioribus Presbyteris commiserunt.
- 21 Hæc fori separatione stabilita, Officiales Episcoporum de omni peccato cognoscere præcendebant.
- 22 Confor me responsum Innocenti III.
- 23 Post hoc principio, omnium penè causas sibi attraherunt iudices Ecclesiastici.
- 24 Fundamentum Officialium erat, quòd ad Ecclesiasticos pertineret remissio peccatorum.
- 25 Hæc ratio non concludebat pro foro contentioso.
- 26 Ob separationem fori Pœnitentiæ à foro contentioso ceperunt iudices Regii aliqua crimina sibi reservare.
- 27 Crimina quæ nihil continent spirituale præter illud quod

concernit forum Sacramentale, non spectant ad cognitionem Officialium.

28 Ad illud forum spectantia remittuntur ad hujus fori ministros.

29 Si crimen habeat aliquid spirituale præter illud quod concernit forum Sacramentale, illud manet cognitionis Ecclesiasticæ.

30 Hinc invaluit distinctio criminum in Ecclesiastica, Civilia & mixta.

**R**emittit latissime Ecclesiæ auctoritatem in puniendis quibuscumque etiam laicorum delictis, atque in ea inquirendi potuisse, multis ostendit Morinus De Administratione Sacramenti penit. lib. 1. cap. 9. & 10.

Imò asserere non dubitat, quòd totis undecim & amplius sæculis eam in omnia crimina auctoritatem Ecclesia constantissime exercuerit. "Quamquam enim (ait) toto illo tempore, nonnullas magni momenti varietates urgentibus de causis Episcopi in Ecclesiæ disciplinam quæ pœnitentiæ spectat, intulerint, constantissime tamen Jurisdictionem suam in omnia crimina etiam levissima, occulta & publica, Sacramentali, ut nunc loquimur, ratione exercuerunt."

II. Argumentum istius discipline suppediat totus liber secundus Constitutionum vulgò Apostolicarum, quæ licet Apostolis falso tribuantur, tamen antiquæ sunt, nec sæculo 4. recentiores videntur. In hoc porro libro, nihil penè aliud tractatur quam modus ratioque, juxta quam Episcopus in judicandis ac puniendis peccatis, recipiendis ad pœnitentiæ peccatoribus sese gerere debeat; nec ulla umquam in eo distinctio peccatorum, ejus membrum foro Ecclesiastico, & pœnitentiæ non subijciatur: "ait Morinus citato cap. 10. num. 2."

III. Ostendit ibidem multis ex antiquitate petitis testimoniis, Episcopos tum temporis in omnia crimina etiam occulta inquisivisse, ac quasi processus instituisse: ut conformiter ad crimina detecta pœnitentiæ imponerent.

IV. Hoc tamen apprime notandum, quòd dicit Morinus, Episcopos Jurisdictionem suam tunc in omnia crimina exercuisse, Sacramentali, ut nunc loquimur, ratione.

Licet enim in peccata inquirerent, testes audirent, censuris aliisque canonicis pœnis contra peccatores procederent, tamen hæc omnia unice ad ipsius peccatoris reconciliationem tendebant; imò omnia quæ Episcopi circa crimina exercebant, cum pœnitentiæ Sacramento connectebantur; atque ad ipsum forum internum Pœnitentiæ sive antecederent sive consequenter reducebantur.

V. Neque enim toto illo sæculorum undecim curriculo forum externum ab interno seu Sacramentali disjungebatur; sed hoc illi arcto vinculo connectebatur; sive potius quidquid in foro externo agebatur, ad forum internum Sacramenti Pœnitentiæ referebatur, uti fusè ibidem ostendit Morinus.

VI. "Nec erat aliud, qui excommunicationem, alius qui peccata solveret, ad quem soluta excommunicatione



peccator esset remittendus: nec erat aliud tribunal in quo excommunicandus, vel excommunicatus judicabatur, aliud in quo Pœnitens excommunicatione soluta; sed unus & idem homo, Episcopus scilicet vel Presbyter unius ejusdemque tribunalis præsides id præstabat.

VII. Hæc Morinus *cap. 10. num. 1.* qui addit *num. 11.* nihil hæcenus à se inventum quod probet, ante sæculum 12. forum externum ab interno fuisse separatum; aut judicem peculiarem excommunicationis solvendæ, alium culpæ eluendæ destinatum fuisse.

VIII. Non eo tamen inficias (subdit Morinus) in ea Pœnitentiæ criminum, præsertim publicorum, vindicta, multa judicialia tantum & cærimonialia adhibita fuisse, quæ indirectè & per accidens non ex sui natura ad Sacramentum Pœnitentiæ referebantur. Imò videtur necessarium, cum Pœnitentiæ publicæ non instituerentur solum ut Deo satisficeret, sed etiam ut Ecclesia Reorum Pœnitentiæ ædificaretur. Verùm antiqui ad unum & idem tribunal utraque revocabant.

IX. Illud quoque haud diffidetur circa sæculum 7. duplex quoddam forum invaluisse. Sub id enim tempus invaluit disciplina, ut de peccatis publicis *publica*, de occultis pœnitentiæ *occulta* ageretur. Publicorum videtur peccatorum Confessio, Pœnitentiæ, Absolutio, ad Episcopos, eorumque speciales Delegates pertinet: Occultorum Confessio, Pœnitentiæ, Absolutio, ad quoslibet Presbyteros. Duplex forum manifestissimum, causarumque materia longè diversa. Utrumque hoc forum à tempore notato multis sæculis in Ecclesia fuisse, gentissimum fuit.

Verùm quidquid Episcopi, quidquid Presbyteri circa peccatores agebant, totum ad Sacramentum Pœnitentiæ administrationem, sive peccatorum curam directè vel indirectè pertinebat.

X. Cum igitur omnis Ecclesiastica auctoritas tum unice ad eluendas criminum maculas, aut etiam avertenda à reliquo populo scandala collinaret; neque forum externum & contentiosum, à foro interno disjungeretur; ipsique Episcopi Sacramentali dumtaxat ratione in crimina inquirerent, eaque punirent; non mirum, quòd sicuti hodie nulla omnino criminum à foro interno sive Sacramentali subtrahuntur, ita toto illo tempore, quo utrumque forum mansit conjunctum, etiam crimina omnia auctoritati Ecclesiasticæ manserint subiecta, ut Ecclesiæ ministri salutes pœnitentiæ etiam solemnem quodam & judiciali modo decernerent, prout salutem peccatorum & fidelium ædificationem convenire judicarent.

XI. Nulla igitur tum nota erat criminum distinctio in Ecclesiastica & civilia, eo nimirum sensu, ut aliqua essent iudici civili reservata privative ad judicem Ecclesiasticum, sive Episcopum.

XII. Neque enim vetebatur Episcopus in crimina Laicorum quantumvis civilia, puta furtum, homicidium &c. inquirere; atque de his vel per propriam Confessionem, vel aliunde convictis publicæ, vel occultas pœnitentiæ pro rationum criminum imponere, non quidem ad meram delictorum illorum vindictam; sed ad delinquentium emendationem, & publici scandali reparationem.

XIII. Ulterius quia eo tempore forum externum jungebatur interno; & quæ Episcopi agebant circa criminum inquisitiones, & alia quæ ad forum externum pertinere videbantur, *Sacramentali ratione* exercebantur, sive proximè aut remotè, directè aut indirectè ad forum internum reducebantur: ideo iudicium Magistratus civilis, vel sententia aut pœna decreta contra delinquentes non magis impediabat ipsam jurisdictionem seu auctoritatem Ecclesiasticam in puniendis eisdem criminibus per pœnitentiæ publicas solemniter & judiciali quodam modo imponendas, quam hodie sententia iudicis Laici impediret Confessarios in iis quæ forum internum spectant.

XIV. Quapropter, qui propter crimen lege civili punitus fuerat; quia civili examine & convictione crimen publicatum erat, Pœnitentiæ publicæ post toleratam pœ-

nam civilem, sive pecuniariam, sive corporalem subijcebatur: Nonnunquam etiam post actam pœnitentiæ publicam pœna civili puniebatur.

XV. Ita Morinus de Administratione Sacram. Pœnit. *lib. 7. cap. 6.* rationem hanc subijciens: Pœnitentiæ enim ut medicinam potissimum considerabant, peccatorem ut ægrotum: Ideo punitum quidem propter crimen pœna civili censabant, non autem sanatum. Christiana tantum pœnitentiæ eum verè sanare, vulnera per peccatum inflicta obducere credebatur. Quapropter crimen actione civili detectum, & condemnatum medicinâ pœnitentiæ publicè diligenter curabant.

XVI. Plurima in probationem illius prætexe ibidem adducit testimonia, atque inter alia notat quod sub initium sæculi 10. nonnulli aliter præsumerent, post sumptam Lege Civili de reis supplicium, nullam superetie Episcopis infligendam pœnitentiæ auctoritatem, reique id impudenter contendebant jactantes, nihil pertinere ad Episcopum quæ à publico examinata dignoscuntur & discussa, ut legitur in Concilio Romano anni 904. *Can. 12.* respondetque Concilium: Quod omnino irregulariter inolevit manifestum est. Habeant igitur Episcopi singularum urbium in sua diocesi liberam potestatem adulteria & scelera inquirere, ulcisci, & judicare secundum quod Canones censuerunt, absque impedimento, alicujus. Et cum opus fuerit, ad comprimendos rebelles & contemptores, publicum Placitum convocent, non ad præjudicandum, sed potius ad ea quæ Deo placita sunt, & salutarum animarum coaveniunt, prosequendum.

XVII. Quod hic dicit Concilium, aliquando ad comprimendos rebelles & contemptores publicum Placitum per Episcopos convocandum, disciplinæ illorum temporum congruit. Id enim consuetum erat, ut si Episcoporum iudicio in suscipiendis pœnitentiis Canonice parere recusarent criminum auctores, à Magistratibus Civilibus cogentur.

Ut Episcopi in certis casibus penitus in vestigare studeant, omnino decernimus: Quia si pœnitere noluerint, ab Ecclesia expellantur, ait Concilium Moguntinum anno 816. *Can. 28.* additque: Quod si Sacerdotum monitionibus noluerint autem, accommodare, volentes in pristinis perditis criminibus, oportet eos per secularis potentie disciplinam à tam prava consuetudine coerceri.

Plurima in eam rem adducit Morinus *lib. 7. cap. 5.* eaque probant, eo tempore Episcopos jurisdictionem & auctoritatem in utroque foro in omnia crimina etiam laicorum exercuisse.

XVIII. Porro hæc Episcoporum jurisdictio integra mansisse videtur usque ad sæculum 11. aut 12. quousque scilicet ipsum forum externum seu contentiosum à foro interno & Sacramentali non fuit omnino disjunctum.

XIX. Circa sæculum 12. cum Scholastica Theologia, fundamenta jacerent, brevique Scholæ omnes occupasset, (ait Morinus *lib. 1. cap. 9. numer. 6.*) forum pœnitentiæ in praxi separari captum est à judiciali, & in varias personas transferri, ne Episcopi eorumque Vicarii negotiorum tam Ecclesiasticorum, quam laicorum mole opprimerentur.

XX. Deinde pergit Morinus: Et licet hoc posterius auctoritate, virtute, Spiritusque S communicatione priorum plurimum cedat, Primario tamen alicui Presbytero cæteris dominaturo delegatum est; prioris verè exercitium inferioribus & vilioribus Presbyteris demandatum. Ille igitur Primarius Presbyter Episcopi Vicarius civiles omnes criminalesque Clericorum causas, necnon Laicorum pleræque judicavit; sed cum juris formulis, strepitibusque & tumultu forensi; Censurasque Ecclesiasticas pro pœnitentiæ sua solus pronuntiavit, vel à jure illatas solus declaravit & executus est; solus quoque ad iisdem Censuris absolutionem concessit, quam culpæ & peccatorum expunitricem esse noluit, ne forum suum judiciale & externum cum pœnitentiæ & interno confunderet; neve, quod necessum fuisset, longas & multiformes secreta omnium pec-

peccatorum confessionis ambages audiendo defatigare-tur.

XXI. Hac utriusque fori separatione stabilita, Episcopi eorumque Officiales omnium criminum & delictorum cognitionem, etiam adversus laicos, sibi secundum Canones vindicabant: imò de omni causa, ubi questio de peccato videretur, cognoscere prætendebant.

XXII. Hinc Innocentius III. in *Cap. 13. de Judiciis* scribit Archiepiscopi & Episcopi per Franciam constituti: Non intendimus judicare de feudo, cujus ad ipsum (Regem) spectat iudicium, nisi forte juri communi per speciale privilegium vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum; sed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus & debemus. Nullus, qui sit sanæ mentis ignorat, quin officium nostrum spectet de quocumque mortali peccato corripere quemlibet Christianum, & si correctionem contempserit, per districtiorem Ecclesiasticam coercere.

XXIII. Posito hoc principio, non tantum de quibuslibet criminibus, sed de omnibus penè causis Civilibus cognitionem sibi competere contendebant Ecclesiastici; uti supra titulo 1. cap. 11. ostendi, & videri potest ex iis quæ in famosa illa disceptatione inter Petrum Cugnerium & Bertrandum Episcopum Eduensem coram Philippo Valerio objecta & responsa sunt.

XXIV. Hoc ex responsis Bertrandi intelligitur, ipsum jurisdictionem & auctoritatem Ecclesiasticam præcipue defendisse hæc inter alias ratione, quòd peccatum interveniret, cujus remissio ad Episcopos attinet. Id & ad citatum cap. 13. de Judiciis, ubi Innocentius dicit se non velle judicare de feudo, sed de peccato, indicat Glossa dicens: *Tantum ratione peccati, & inducendo ad pœnitentiæ.*

XXV. Hæc ratio quidem concludebat pro foro Sacramentali & iis quæ ad forum illud referuntur, at quoad forum externum & contentiosum haud concludebat.

XXVI. Quare iudices Regii animadvertentes, forum externum & contentiosum esse planè à foro interno & Sacramentali jam separatum, neque amplius procedi ab Episcopis seu eorum Officialibus *ratione Sacramentali*; neque pœnas canonicas infligi per modum salutaris & medicinalis pœnitentiæ in ordine ad purgationem delictorum, sed modo omnino forensi & strepitui judiciali, non ad ipsos criminosos disponendum ad remissionem suorum delictorum, sed ad meram vindictam pecuniariam, vel corporalem, cæperunt laicorum causas criminales, non secus ac Civiles, sibi reservare.

XXVII. Cum enim quedam essent crimina in quibus nihil omnino esset spirituale, nihilque quod ad forum Ecclesiasticum spectaret, nisi ipsius peccati coram Deo remissio aut absolutio vigore Clavium à Sacerdote obtinenda, visum fuit, cognitionem hujusmodi criminum ad iudicium sive forum Officialis non spectare, sed potius ad laicale, quantum ad pœnam externam & Civilem istorum criminum: quandoquidem nihil in crimine occurrat spirituale præter illud, quod unice spectat forum Sacramentale & internum, à foro contentioso & externo planè distinctum: in tantum quidem, ut sæpius ipsa fort contentiosi jurisdictione competat iis, qui ipsius jurisdictionis Sacramentalis sunt incapaces.

XXVIII. Illud autem quod forum internum & Sacramentale spectat, ad ipsos Sacerdotes & Episcopos hujus fori ministros remittitur: & quia olim forum externum & internum non erant distincta, hinc de omnibus criminibus cognoscebat Episcopus ejusque Vicarius; sed in ordine ad forum internum, uti supra expositum est.

XXIX. Si verò crimen præter illa, quæ forum internum concernunt, habeat aliquid spiritualitatis, etiam ratione illius etiamnum hodie iudicis Ecclesiastici cognitio est contra laicos.

XXX. Hinc ad exemplum causarum Civilium, hodie invaluit divisio delictorum in Civilia; Ecclesiastica & mixta. De prioribus solus Judex laicus contra laicos cognoscit: neque ratione horum coram Officiali Episcopi citari potest.

De Ecclesiasticis solus Judex Ecclesiasticus etiam contra laicos cognoscit. De mixtis uterque per præventionem. Quæ autem crimina sint unius alteriusve generis, in progressu videbitur.

## CAPUT II.

## De Crimine hæresis &amp; schismatis.

- 1 Difficiliter definitur quid sit hæresis, aut quis sit Hæreticus.
- 2 Minus docti subinde putant hæreses, quæ non sunt.
- 3 Simples interdum ut Hæreticos quosdam persequentes hæreses faciunt.
- 4 Arcadius Imp. declaravit quos Hæreticorum numero haberi vellet.
- 5 Laudabile fuit hoc Arcadii consilium & quare?
- 6 Requiritur Arcadius, ne quis à iudicio Catholice Religionis deviet; sive ab eo, quod Catholica Religio credendum proponit.
- 7 Hoc est, quod verbo Dei scripto vel non scripto continetur.
- 8 Quod ad hæresim requisivit Arcadius, hodie ab omnibus requiritur.
- 9 Potest quis à verbo Dei deviare sine hæresi, si ab Ecclesia ut verbum Dei nondum sit propositum.
- 10 Multa sunt quæ ob defectum hujus propositionis ad fidei certitudinem non pertingunt.
- 11 Utile admodum est, discernere quæ fidei sunt, ab iis quæ fidei non sunt.
- 12 Ad cognoscendam fidem Ecclesie Catholice nonnumquam exemplum Catholicorum Episcoporum propositum fuit.
- 13 Hoc consilio usus est Theodosius Imperator, remittendo populum ad fidem Ecclesie Romanæ, & Damasi Episcopi Romani, & Petri Alexandrini.
- 14 Refertur Edictum Theodosii.
- 15 Ratio hujus Edicti.
- 16 Quare Theodosius specialiter remisit populum ad fidem Ecclesie Romanæ?
- 17 Jam pridem usitatum fuit, ut fides ab Apostolis tradita peccaretur ab Ecclesia Romana.
- 18 Usitatum quoque, ad cognoscendam fidem Catholicam jungere utramque Ecclesiam Romanam simul & Alexandrinam.
- 19 Exemplum interdum aliorum Episcoporum ad cognoscendam fidem propositum fuit.
- 20 Pro dignoscenda fide Catholica frequens remissio fuit ad Concilia præsertim generalia.
- 21 Hoc consilio usus est Pius IV. in moderna formula fidei.
- 22 Qui à iudicio Catholice Religionis ab Ecclesia proposito deviat, merito Hæreticis annumeratur.
- 23 Deviare hic accipitur pro recedere cum pertinacia.
- 24 Qui errat circa articulum fidei sine pertinacia, non est Hæreticus.
- 25 Absolvitur ab hæresi, qui sua submittit iudicio Ecclesie Romanæ.
- 26 Nemo damnandus ut Hæreticus, nisi de hæresi plenè convictus.
- 27 Non facile damnandus ut Hæreticus qui publicè fidem Catholicam profitemur.
- 28 Episcopi etiam sanctissimi aliquando de hæresi accusati.
- 29 Sanctus Chrysostomus noluit sine cognitione causæ aliquos ut Hæreticos damnare.
- 30 Quomodo S. Epiphanius se permisit in materia hæresis nimis leviter preveniri.
- 31 Hinc periculo se exponunt, qui vagis accusationibus de hæresi aures præbent.
- 32 Sollicitè cavendum, ne habeatur Hæreticus qui non est legitime convictus.
- 33 Ad religiosè observari voluit Innocentius XII.